

Πηγαῖον ἄλλον, ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει.

“Fontanum alium, qui Empyreum mundum dicit”.

A quo proxime omnia et incorpora, et corpora sunt fabrefacta. Et a quo ipsi mundo Empyreo lumen primarium est obvolutum. Et quo lumine, et calore eius cornice, iste intellectus eum dicit. Hoc est regit. Non enim Empyreum duci, aut moveri putamus. Sed stabilis permanet in loco, sicuti et lumen. Et quoniam illa Procli verba, quae ad hanc rem attulimus, videntur aliter sonare, sunt exactius perpendenda. Sunt autem. Άλλὰ τὴν μὲν ἔδρασον ὁμοῦ τῷ κέντρῳ. Τὴν δὲ ἐμβιβασάσας εἰς ταύτην, ὅλον τε ὅψει τὸν κόσμον ἐν τόπῳ ὅντα, ἐν τῷ ἀκινήτῳ φωτὶ κινούμενον. Καὶ τοῦτον καθ' ὅλον μὲν ἔσυτὸν ἀκίνητον, ἵνα μιμεῖται τὸν τόπον κατὰ μέρος δὲ κινούμενον, ἵνα ταύτῃ ἔλαττον ἔχῃ τοῦ τόπου.

De duabus illis sphæris loquitur, luminis, scilicet et ea quae ex multis composita est corporibus Empyreo, Æthereis, Hylæis. Ait igitur.

“Alteram colloca simul cum centro. Alteram in hanc impone, universum videbis mundum in loco quidem existere, et in immobili illo lumine, moveri. Et hoc quidem per se totum esse immobile, ut locum imitetur. Per partes vero moveri, ut hoc minus habeat, quam locus.”

Quibus verbis dicitur locum mundi, hoc est spaciū; et lumen ipsum replens, esse immobilem: Mundum autem in spacio seu loco, et lumine positum, totum quidem esse immobile, ut locum imitetur; per partes vero moveri. Empyreus cum sociis, ut totus quidem est immobilis. Partes autem circundatae, tres ætherei mundi, et tres Hylæi, moventur, et eorum partes locum mutant. In ipso scilicet Empyreo, ut creditur circumvoluti. Nam et Theologi nostri, et Astronomorum, qui ipsum pro undecimo orbe receperunt, immobilem esse, cœlum Empyreum statuerunt. Sicuti autem ipse ex lumine, et ex calore, ignis et Empyreus est factus. Sic ipsum in causa fuisse, canunt oracula ut mundus reliquus, Æthereus, et Hylæus, sit conformatus. Nam de opifice cum loquerentur, aiunt.

Ποιητὴς, ὃς αὐτοὺς ἔγραψε τὰ τεκταίνεται τὸν κόσμον.

Καὶ γὰρ τις πυρὸς ὄγκος ἦν ἔτερος, τὰ δὲ πάντα.

Αὐτοὺς ἔγραψε, ἵνα σῶμα τὸ κοσμικὸν ἐκτολυπενθῆ

Κόσμος ἵνα ἐκδηλος, καὶ μὴ φαίνηται ὑμενώδης.

“Factor qui per se agens fabricat mundum.

Etenim, quædam ignis moles erat alia,

hæc cuncta efficiens per se, ut corpus mundanum evolveretur,

Mundus ut manifestus, et non appareret membraneus.“

Ne scilicet omnis transpareret. Quæ autem alia hæc ignis moles erat, præter ipsum Empyreum? Qui cuncta in inferioribus fabrefecit ita, ut apparerent manifesta. In summam reducamus, et concludamus. Extra paternum profundum ab eo, primū est difflatum spaciū in infinitum. Deinde in spacio lumen. Mox in lumine calor. E calore et lumine Empyreus mundus, inferioris faber, fuit immobilis. Neque hic clamet Peripatus, entia sine necessitate multiplicari. Summa enim hic necessitas est, uti spaciū ponatur primo, in quo entia omnia quasi in loco locarentur. Deinde ipsum lumen impleret, secum ferens rerum omnium corporearum primordia, quæ in opus educeret per calorem, et in fluorem induceret, ex quo res omnes formarentur. Multiplicatae quidem sunt in Peripato, nulla cogente necessitate, intelligentiae illæ cœlestes, et primus motor. Et ea quæ supra primam lationem vitam degunt beatam. Quæ quamquam ibi revera sint, attamen quia sine ulla ratiove, sine demonstratione ulla, illuc sunt inducta, vere sunt sine necessitate multiplicata, sicuti, et materia illa sua prima, et potentia, et privatio, et forma, et natura, et fortuna, et casus, et alia multa. De quibus locis suis. Sed hæc Chaldæorum illa est philosophia, qua in Peripati maximus Corypheus, Arabs Aven Rois dixit, ita fuisse aliquando perfectam, et absolutam, sicuti tempore Aristotelis. Sed in hoc falsus, in illo verum pronunciavit.